Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35998
Copyright: Melk, Benediktinerstift



26

Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum.
Estote ergo prudentes sicut serpentes. et simplices sicut
columbe. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim uos
in concilijs. et in synagogis suis flagellabunt uos.
et ad presides et ad reges ducemini propter me. in te-
stimonium illis et gentibus. Cum autem tradent uos no-
lite cogitare quomodo aut quid loquamini. dabitur enim
uobis in illa hora quid loquamini. Non enim uos estis qui
loquimini. sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis.
Tradet autem frater fratrem in morte. et pater filium. et
insurgent filij in parentes et morte eos afficient.
Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.
Qui autem perseuerauerit usque in finem. hic saluus erit
Cum autem persequentur uos in ciuitate ista fugite
in aliam. Amen dico uobis. non consumabitis ciuitates
israel. donec ueniat filius hominis. Non est discipulus
super magistrum. nec seruus super dominum suum. Sufficit di-
scipulo ut sit sicut magister eius. et seruo sicut dominus eius.
Si patrefamilias beelzebub uocauerunt. quanto
magis domesticos eius. Ne ergo timueritis eos.
Nichil enim est opertum quod non reuelet. et occultum quod non
sciatur. Quod dico uobis in tenebris dicite in lumine.
et quod in aure auditis predicate super tecta. Et no-
lite timere eos qui occidunt corpus. animam autem non
possunt occidere. sed potius timete qui potest et corpus
et animam perdere in gehenna. Nonne duo passeres
asse ueneunt. et unus ex illis non cadet super terram
sine patre uestro. Vestri autem et capilli capitis